



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Denunciationis Form. IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

## Sententiæ Declaratoriæ

## F O R M U L A III.

**V**isa relatione N. in actis nostræ Curie exhibita super violenta effractione valvarum (sive fenestræ, sive parietis) Ecclesiæ S. N. loci N. hujus nostræ Diœcesis; sequuta die... & super ablatione, furto, & spoliatione suppellectilium sacrarum, aliorumvè mobilium ejusdem Ecclesiæ: visa recognitione corporis delicti per visum, & repertum formiter facta, nec non examinibus testium, per visum de personis patrati facinoris reis *deponentium nominatim*, visa citatione per Edictum, totoque processu desuper constructo dicimus, & declaramus, constare de effractione, & spolio, & ideo N. & N. loci N. iniquitatis filios violentæ effractionis, & spoli Auctores, incidisse in excommunicationem majorem contentam in *c. conquisti 22. de sent. excom. & in alias pœnas à S. Canonibus contra Sacrilegos Ecclesiarum effractores inflictas*, & esse publice denunciandos, prout per affixionem Cedulorum in locis publicis denunciari mandamus, omni &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Denunciationis, si Cedulorum.

## F O R M U L A IV.

## S U M M A R I U M.

1 Effractores Ecclesiarum sunt ipso jure excommunicati quando cum effractione adest furtum.

Hodie sunt ipso jure excommunicati fures rerum Ecclesiæ vigore Concilii Trident.

2 Qui dicantur effractores Ecclesiarum, ostenditur.

3 Ecclesia enormiter effracta, seu combusta, quando indigeat, vel non, nova consecratione, indicatur.

4 Excommunicatio est publicanda contra personas certas, & nominatim.

5 Præsumptiones juris, sunt liquide probationes.

6 Pœna sacrilegi est multiplex, & Judici arbitraria.

7 Sacrilegium quomodo, & quando commissum dicatur, ostenditur.

8 Delictum sacrilegii est mixti fori.

9 In delicto sacrilegii, quando detur præventio, ostenditur.

10 Effractores Ecclesiarum cum spolio sunt ubique persequendi.

11 In delictis mixti fori, reus absolutus ab uno Judice, non potest ab alio molestari, quando Judices sunt ejusdem Monarchiæ.

**H**ic auctoritate ordinaria denunciantur excommunicati majori excommunicatione S. N. Papæ reservata N. & N. de loco N. iniquitatis filii; ex eo quia violenter confregerunt valvas (sive fenestram, sive parietem) Ecclesiæ S. N. loci N. hujus Diœcesis, & inde suppellectilia sacra, & alia mobilia ejusdem Ecclesiæ furto abstulerunt. Ut igitur memorati sacrilegi effractores ab omnibus Christi fidelibus vitentur, & abhorreantur, præsentibus publicari jussimus, & tandùm à communione fidelium eliminati, & anathematizzati

D 4 exi-



existant, donec juxta Sac. Canonum dispositionem d. Ecclesie damna resarciant, & satisfaciant, & à Sede Apostolica absolutionem meruerint obtinere.

Datum &c.

N. Vic. Gen. (sive Episc. N.)

Loco ✠ Sigilli.

V E L

N. Actuarius.

**C**on autorità ordinaria si denunciano scomunicati di scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, N. & N. del luogo N. figliuolo d' iniquità, per havere con violenza rotte le Porte della Chiesa di S. N. di questa Diocesi, e portato via da quella con furto sacrilego le suppellettili sacre, & altri mobili preziosi della medesima Chiesa: ed accioche siano fuggiti, & abominati da tutti, si sono publicati i presenti Cedoloni: e siano così scomunicati, e privi del consorzio de fedeli, fin tanto, che non havranno risarcito il danno, e soddisfatto alla detta Chiesa, secondo la disposizione de' Sagri Canon, & ottenuta dalla Sede Apostolica l'assoluzione. Dato &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuario.

ADNOTATIONES.

- 1 **SUPERVIOLENTA EFFRACTIO**. Ex hac clausula datur intelligi, quod juxta dispositionem hujus Textus, tunc fures rerum Ecclesiarum sunt ipso facto excommunicati, quando cum furto adest violenta confractio, vel incendium, c. canonica 107. 11. q. 3. si enim sequeretur furtum absque effractione, vel incendio non essent excommunicati ipso jure, sed excommunicandi per sententiam juxta text. in c. conquestus 16. de for. comp. gloss. in d. c. conquesti de sent. excom. Graff. consl. lib. 5. par. 2. conf. 2. n. 2. At hodie sunt ipso facto excommunicati, vigore Concilii Trid. sess. 22. c. 11. de refor. & à Papa sunt absolvendi, Sperell. dec. 137. nu. 17.
- 2 Effractores autem dicuntur non solum illi, qui ferro, vel incendio muros, vel Januas Ecclesie violenter confringunt, & spoliant illam, sed etiam alii, qui Arcam, vel Armarium ejusdem Ecclesie effrangerent, ut probat text. in l. tertia §. effractura ff. de offic. praefect. vigil. ibi -- effracturae sunt plerumque in insulis ( idest domibus, ut ait ibi Glos. ) in horreis, ubi ho-

mines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt, cum, vel Cella effringitur, vel armarium, vel arca, &c. aut vitream fenestram frangerent, vel vectes, aut tectum, Sayr. de cons. lib. 3. cap. 29. n. 16.

Quid dubitaretur, an per enormem effractionem, vel ignis combustionem, Ecclesia evaserit execrata, adeo ut nova indigeat consecratione? Et responderetur, quod si parietes interiores sint combusti, vel devastati, & abradi ex toto, vel ex majore parte, indiget nova consecratione: quia consecratio consistit in externa parte, seu superficie parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus crucis Signum apponitur; ideoque ex combustionem, vel notabili abrasione parietum, violatur consecratio, etiamsi parietes, non corruerint, ut ex c. Ecclesis 20. dist. 1. de consec. & ex Glos. ibi ver. Alvaria, firmat Pirhing. in jus. can. lib. 3. tit. 40. n. 8. secus autem si ex vetustate, vel alia causa totum Ecclesie tectum corrueret, parietibus illaesis remanentibus: tunc enim non indiget non consecratione: quia consecratio fit in parietibus, ut dictum est, & non in tecto c. ligneis 6. de consec. Eccles.

Depo-



- 4 *Deponentium nominatim.* Hoc dicitur in sententia declaratoria, ad ostendendum, quod jam constat de certa, seu certis personis denunciandis: nam si testes, effractores, & fures nominatim in examine non indicarent, sed tantum per indicia, & conjecturas de illis deponerent, & Judici aliud non constaret de certitudine Auctorum effractionis, & furti, non posset validè ad denunciationem excommunicationis devenire, quia tunc sententia incerta esset, & rei judicatæ auctoritatem non contineret, *Glos. notabilis in c. si Sacerdos verb. remove de offic. judic. ordin. cum aliis apud Sayr. de censur. lib. 1. cap. 8. num. 27. Ricc. prax. par. 4. res. 203. post num. 9. in fine nisi fortè ex aliquibus circumstantiis, & jurispræsumptionibus, cognosci certò possit quinam sint: cum præsumptiones juridicæ stent loco testium, & dicantur liquidissimæ probationes, Medic. de difinit. par. 2. difin. 18. num. 12. & ex eis imponi possit pœna ordinaria delicti, Amostaz. de caus. piis tom. 2. cap. 12. num. 48.*
- 5 *Et alias pœnas.* Præter pœnam excommunicationis, pro casuum diversitate, diversas alias pœnas imposuit Sacrilegus Jus. Canonicum, videlicet infamiam, carcerem, multas pecuniarias, & exilium, ut habetur in *c. attendendum, c. quisquis inventus 17. quæst. 4.* ibique *Glos.* ideoque hodiè pœna Sacrilegii est Judici arbitraria, ut probat *Sperel. dec. 4. nu. 5.*
- 6 *Contra sacrilegos.* Sacrilegium propriè dictum, est sacræ rei violatio, sive in se, sive in alio, idest sive sit res ipsa sacra, sive ipsa persona Ecclesiastica, *Glos. c. Sacrilegium 17. quæst. 4.* Quatuor autem sunt species sacrilegii. Prima est, quando percussus, vulneratur, & occiditur Clericus, vel Monachus, seù alia religiosa persona, *cap. si quis suadente 17. quæst. 4.* Secunda committitur per copulam carnalem cum Moniali, & est peccatum gravissimum morte dignum, cum in eo concurrant sacrilegium, adulterium, & incestus. Tertia committitur circa locum sacrum, ut quando Ecclesia violatur violenta manuum injectione, & hominis percussione, effusione violenta sanguinis, effractione, devastatione, vel

incendio, vel per fornicationem etiam occultam commissam in Ecclesia, *Bellett. de favor. Cleric. real. §. 4. n. 16.* Quarta committitur circa res: & hoc casu tribus modis, videlicet auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro, *cap. quisvis inventus 17. quæst. 4.* & his casibus, si variè contingere possunt, ita diversa erit delinquentium punitio, *Leo Thes. for. Eccles. par. 3. cap. 4. à num. 44. ad 55. Barb. in d. c. quisquis inventus num. 4. & 5.*

Delictum sacrilegii, quoties delinquens sit laicus, est mixti fori, & ideo inter Judicem Ecclesiasticum, & laicum datur præventio, adeo ut altero eorum præveniente, & procedente, alterius forus sileat: cum Judex Ecclesiasticus non solum ad pœnas spirituales, sed etiam temporales citrà sanguinem contra laicos Sacrilegos procedere possit, ut bene probat *Sperell. decis. 4. per totam.* Vult tamen *Tondut. de prævent. par. 2. cap. 29. numer. 32.* id procedere quando reus non est in contumacia; si enim esset contumax, utpotè quia non compareat, sed aufugit, tunc possit ( ut ipse ait ) uterque judex procedere: cum contumax non possit opponere de præventionem, & sic judex Sæcularis imponet contumaci pœnas temporales, & Ecclesiasticus Spirituales, & huic opinioni adhærent *Grass. de eff. cleric. effect. 1. num. 620. in fin. Bellett. de favor. cleric. real. §. 4. num. 7.*

Hocque ex eo provenire videtur, quia in Criminalibus per solam accusationem, informationem, & examen testium causa non dicitur præventa: non requiritur, vel executio citationis verbalis contra reum legitimè executioni demandatæ, vel personæ captura, quæ sola sufficeret ad præveniendum, & uti fortior, citationi verbali, & cæteris actibus prævaleret, ut tradit idem *Tond. cit. p. 2. c. 54. à n. 5. ad 9. p. 3. c. 20. n. 2.* quæ conclusio vera est, quando captus non opponit de præventionem verbali coram alio iudice ( ad quem, si opponat, est remittendus ) & quando reus est verè captus; secus si spontè coram iudice, qui eum non citavit, se constitueret; quia præsumitur



tur dolosè, & in fraudem se constituif-  
se, prout conclusionem prædictam enu-  
cleando tradit Guazzin. *ad defens. reor.*  
*def. 1. cap. 9. à numer. 14. cum seqq.* quem  
non pigeat videre.

- 10 Præterea ut Effactores Ecclesiarum  
cum spolio, gladio Spirituali Ecclesie  
ubique persequuti confundantur, quo-  
ties casus eveniat eos denunciari publicè  
posse, & debere, Episcopus litteris suis  
subdialibus requirat alios Episcopos Pro-  
vinciæ, ut illos denunciare quoque fa-  
ciant in suis Diæcesibus, quia delictum  
est atrox, & exemplare, tam de jure  
civilis in *l. si quis in hoc genus 10. ibiq. DD.*  
*Cod. de Episc. & Cleric.* quàm Canonico  
in *c. si quis 29. §. Qui autem 17. quest. 4.*  
inter capitalia delicta numeratur, Bellett.  
*disq. cler. de pæn. Cleric. §. 45. num. 2.* imò  
quod excedat omnia alia crimina præter  
crimen læsæ majestatis, ex Bartol. cen-  
suit *Grass. consil. lib. 5. par. 2. tit. de priv.*  
*consil. 2. diff. 2. n. 3. & 4.*

Cæterum regulare est in delictis mix-  
ti fori, quod absolutus à Curia laica,  
quæ prævenit, non debet amplius à  
Curia Ecclesiastica molestari, Sperell.  
*decis. 4. num. 4.* & hanc opinionem sequu-  
ta est *Sac. Congreg. Immunit. in una Nuc-*  
*erina 8. Julii 1687. lib. Dec. Martell. pag.*  
*130.* Et vice versa absolutus à Curia Epi-  
scopali, non potest amplius à Curia laica,  
molestari, etiamsi non intercesserit cap-  
tura Rei, ut declaravit eadem *S. Congr.*  
*in Perusina 30. Septembris 1714. lib. 3. Ve-*  
*eret. Vallem pag. 619.* Quod tamen intel-  
ligendum venit, ubi Judex Laicus, &

Ecclesiasticus sunt ejusdem Monarchiæ,  
nam si essent sub diversis Principibus,  
constituti, quilibet eorum procederet nul-  
la habita ratione præventionis factæ per  
alium, ut observat Tondut. *de prævent.*  
*par. 2. c. 32. n. 27.*

*De excommunicatione contenta in  
c. noverit, &c. gravem de  
sent. excommun.*

Tradit antiquitas, quod laici oppidè  
Clericis infesti sunt: ideoque sæpè oneri-  
bus, & gravaminibus directè, vel indire-  
ctè eos subjicere moluntur. Quare cum  
Episcopus in sua Diæcesi hoc attentari  
perspexerit, sive Edictis, sive Statutis,  
quibus ut plurimum libertas Ecclesiastica  
lædi solet; contra violatores procedere  
non negligat, & immunitatem Clerico-  
rum juxta Canonum instituta tueatur.  
Et si Statuto, vel Edicto laicorum v. g.  
prohibeatur, quod nemo ex habitatori-  
bus, & incolis Civitatis, aut alterius lo-  
ci, possit molere frumentum, vel olivas  
macinare, nisi in certis molendinis ipso-  
rum laicorum: debet judicialiter monere,  
quos oportet Consiliarios, seu Officiales  
de regimine sub pœna denunciationis ex-  
communicationis incurssæ, *ad faciendam  
declarationem; Statutum, sive Edictum  
non comprehendere Ecclesiasticos, neque eo-  
rum Molendina, & quatenus in termino  
ab eo præfinito illam facere recusent,  
in excommunicationem eos incidisse de-  
claret modo sequenti.*

#### Sententiæ Declaratoriæ.

#### F O R M U L A V.

**V**isa particula Statuti laicalis hujus Civitatis N. in Actis per Promotorem  
Fiscalem nostræ Curie exhibita (sive viso Edicto gubernii laicorum  
evulgato), quo prohibetur Incolis omnibus, & universis, ne audeant sub pœ-  
na .... frumentum, molere, aut olivas macinare facere, nisi in certis molen-  
dinis ipsorum laicorum, visaque monitione *sub pœna denunciationis excommuni-*  
*cationis incurssæ per nos facta, & contra N. N. & N. N. hujus Civitatis Consilia-*  
*rios) sive Syndicos, sive Consules, sive Priores, sive Confaloneros) legitime exe-*  
*cuta, ad faciendum declarationem, Statutum præfatum (seu Edictum) hac in*  
Parte non comprehendere personas Ecclesiasticas, neque eorum molendina,  
quam